Walther

I.

OBSERVATIONUM

IN

C. CORNELII TACITI OPERA

CONSCRIPTARUM

SPECIMEN ALTERUM

QUO

VIRO CLARISSIMO ATQUE DOCTISSIMO

TRAUGOTT FREDERICO BENEDICT

LYCEI ANNAEMONTANI RECTORI

OPTIME MERITO

HONORES

AA. LL. MAGISTRI ET PHILOS. DOCTORIS

ANTE QUINQUAGINTA ANNOS

IN ACADEMIA LIPSIENSI

ACCEPTOS

DIE XXVII. MENS. IUL. AN. MDCCCXXVII.

PIE GRATULATUR

GEORGIUS HENRICUS WALTHER

SACERDOS APUD BERGANOS IN THURINGIA.

HALIS SAXONUM

APUD HEMMERDE ET SCHWETSCHKE.

OBSERVATIONUM

IN

C. CORNELII TACITI OPERA

CONSCRIPTARUM

SPECIMEN ALTERUM

QUO

VIRO CLARISSIMO ATQUE DOCTISSIMO

TRAUGOTT FREDERICO BENEDICT

LYCEI ANNAEMONTANI RECTORI

OPTIME MERITO

HONORES

AA. LL. MAGISTRI ET PHILOS. DOCTORIS

ANTE QUINQUAGINTA ANNOS

IN ACADEMIA LIPSIENSI

ACCEPTOS

DIE XXVII. MENS. IUL. AN. MDCCCXXVII

PIE GRATULATUR

GEORGIUS HENRICUS WALTHER

SACERDOS APUD BERGANOS IN THURINGIA.

HALIS SAXONUM

APUD HEMMERDE ET SCHWETSCHKE.

VIR
SUMMA PIETATE MIHI COLENDE

Agitabam, quo tandem munusculo diem iubilaeum TIBI socero gener ego condecorarem, atque intellexi, deliciae TUAE quum sint in literis antiquitate claris, nil rerum mearum acceptius TIBI fore, quam specimen aliquod operae illis navatae. Haud enim nescis, me quanquam temporum calamitate fatoque iubente officinis literarum abstractum satisque feliciter rure nunc latentem, continuo tamen taciteque pergere viam, in qua quondam calcanda TE duce socioque fruebar. Iam post longiorem aliarum rerum curam hoc tempore otia mea denuo dicata sunt tractandis C. Cornelii Taciti operibus, quae adnotationibus instructa sub finem huius anni, si deus favebit, editurus sum. Hinc non absurdum mihi visum est, cellam hanc meam iam hodie paululum aperiri et inde TIBI praeberi tenue aliquod ferculum ad epulas iubilaeas. Quod si prae lautitiis opiparisque ornamentis, quae praesentes amici

paraverint, nimis vile ac die solenni indignum videbitur, differas, quaeso, in posterum. Quae tamen pro TUA salute vota et mihi et me interprete carissimae uxori parvulisque TUIS nepotibus hodie nuncupantur, ut veri amoris documenta ex intimo pectore profecta accipe. Faxit Deus ter Optimus Maximus, ut integris viribus, fronte serena et cumulatus omni coeli favore quam diutissime adhuc adsis et muneri TUO, cuius fructu laetatur patria, et literis, quae nullo non tempore TUA opera augentur, et nobis, qui e paterno TUO erga nos animo longe maximam capimus voluptatem. Vale et fac, ut TUO fruar favore

CARISSIMI NOMINIS

TUI

pius cultor

Georgius Henricus Walther.

Tacit. Annal. I, 8. (ed. Oberlin.)

Tum consultatum de honoribus; ex quis maxime insignes visi: ut porta triumphali duceretur funus, Gallus Asinius; ut legum latarum tituli, victarum ab eo gentium vocabula anteferrentur, L. Arruntius censuere.

Hunc locum vitio laborare bene vidit Wopkens. Nam praeter nexum idoneum adponuntur, quae sequuntur post *visi.* Particulam *ut* referri ad *visi* vetant nomina censentium cum verbo *censuere;* ut verbum *visi* cum Wolfio explices: „visi sunt hi, qui statim ponuntur", atque sequentia ita per se constent, contortum est, nec unquam Tacitum tam dissoluto dicendi genere usum deprehendes. Iam Wopkens, vel expungendum *visi*, vel duplex *ut* nominibus censentium praefigendum censebat. Sed ista quidem vis est. Leviori remedio locum sanabis, scilicet mutato verbo *visi* in *iussi.* Distingue: *Tum consultatum de honoribus, ex quis maxime insignes iussi* (sc. sunt). *Ut porta* sqq. Verbum *iubere* plane sic adhiberi de iis, quae apud senatum decernuntur, non est, quod moneam, docetque locus Hist. 4, 40. *Patres utrumque iussere.* Innumera autem sunt in vett. Mss. exempla eius confusionis, qua syllabae *vi* et *iu* permutantur, ut in *ius* et *vis* Hist. 3, 50. 4, 39. 4, 69. et alibi; sic et Hist. 3, 39. pro *iussa* ed. pr. habet *visa;* 4, 41. *Iubius* pro *Vibius*, et An. 14, 26. pro *iussae* in Guelf. est *visae.* Cf. etiam Drakenb. ad Sil. 13, 372.

Annal. I, 10.

proscriptionem civium, divisiones agrorum, ne ipsis quidem, qui cepere, laudatas.

Sic hodiernae edd. omnes ex opinione Mureti, quam potissimum Wolfius cum eximia fiducia commendavit. Ms. Flor. testante Pichena et vett. edd. *qui fecere.* At quum Mureto innotuisset (nescio unde) in antiquis esse: *qui caepere,* venit ipsi suspicio de mendo vulgatae lectionis, et loco Suetonii Oct. c. 13. deceptus censuit legendum esse *cepere.* Nimirum Suetonius de Octaviano refert: *neque veteranorum neque possessorum gratiam tenuit, alteris pelli se, alteris non pro spe meritorum tractari querentibus.* Iam eodem spectare Taciti verba existimantur. Sed quaero, an divisiones agrorum, ne ipsis quidem, qui cepere, laudatae, crimini verti potuerint Augusto? Num divisiones agrorum per se displicuere veteranis? Imo satis his placebant; querebantur vero ex nimia cupiditate. Multum igitur abest, ut e veteranorum querelis vituperium Augusti repeti possit, ut potius in eius laudem haec valeant. Altera quaestio est, num verba: *ne .... laudatas,* ad divisiones agrorum tantum pertineant, an etiam referenda sint ad proscriptionem civium? Illud si statuis, Tacitus satis nude posuit: *proscriptionem civium,* inter hasce sententias ad unam omnes pleniori quadam enuntiatione expositas. Omnia potius suadent, ut praedicata: *ne ... laudatas,* ad *proscriptionem civium* etiam referas. Tum vero non video, quomodo verbum *cepere* cum illa conciliari possit. Quae quum ita sint, redeundum hic erit ad cod. Flor. lectionem: *qui fecere.* Qui fecere proscriptionem civium et divisiones agrorum, sunt triumviri et qui plurimum apud illos potuere, spectatque hic locus ad varias dissensiones super proscriptione civium et divisione agrorum in triumvirorum partibus exortas. Nam de illa refert Sueton. Oct. c. 27. *restitit quidem* (Octav.)

aliquamdiu collegis, ne qua fieret proscriptio, sed inceptam utroque acerbius exercuit. Namque illis in multorum saepe personam per gratiam et preces exorabilibus, solus magno opere contendit, ne cui parceretur. — Quum peracta proscriptione M. Lepidus in senatu excusasset praeterita, et spem clementiae in posterum fecisset, quoniam satis poenarum exactum esset; hunc e diverso professum, ita modum se proscribendi statuisse, ut omnia sibi reliquerit libera. De Divisione agrorum cf. Dio 48, 6. *Ἦν δὲ ἐν τῇ κληρουχίᾳ ἀμφοτέροις ἡ πλείστη τῆς δυνάμεως ἐλπὶς, καὶ διὰ τοῦθ' ὑπὲρ αὐτῆς πρῶτον ἀρξάμενοι διεφέροντο.* Et mox: *ὡς γοῦν παρὰ τὴν δόξαν αὐτῶν πολλὴ ταραχὴ ἐγίγνετο, καὶ τὸ πρᾶγμα ἐς πόλεμον προήγετο· — μετεβάλλοντο ἥ τε Φουλουΐα καὶ ὁ ὕπατος, πλείω δύναμιν ἐν τοῖς ἑτέροις τοῖς ἀδικουμένοις σχήσειν ἐλπίσαντες· καὶ τῶν μὲν ληψομένων τοὺς ἀγροὺς ἠμέλησαν, πρὸς δὲ ἐκείνους, ἅτε καὶ πλείονας ὄντας, καὶ ὀργὴν δικαίαν ὑπὲρ ὧν ἀπεστεροῦντο ποιουμένους, ἐτράποντο κ. τ. λ.* Et in fine capitis: *καὶ γὰρ καὶ τῷ Μάρκῳ ταῦτα συνδοκεῖν ἐνόμιζον.* Haec videntur sufficere, ut appareat, quomodo defuncto Augusto obtrectatores potuerint obiicere *proscriptionem civium, divisiones agrorum, ne ipsis quidem, qui fecere, laudatas.* De formula: *qui fecere,* cf. Sallust. Catil. c. 8.

Annal. II, 27.

hortaturque ad luxum et aes alienum, socius libidinum et necessitatum, quo pluribus indiciis illigaret.

Necessitates I. Fr. Gronovius interpretatur sumtus vel impensas; sequitur Strombeckius, qui vertit: *Genosse seiner Lüste und Ausgaben.* Lipsius, Freinshemius et Ernestius referunt ad aes alienum. Hillerus in Racem. 23. intelligit *ἓν διὰ δυοῖν:* libidinosas necessitates s. sodalitates, ut ita *necessitas* sit pro necessitudine. Hinc Ricklefs:

Theilnehmer an seinen Lüsten und Verbindungen. Hackius *necessitates* vertit *Bedürfnisse.* At alius plane sensus subesse videtur. *Libidines* et *necessitates* aperte hic invicem sibi opponuntur. Iam *libidines* sunt deliciae, quas non necessitate coactus aliquis, sed voluptatis causa et lascive concupiscit; hinc audiunt *libidines.* His opponuntur *necessitates*, h. e. quae necessario fiunt, *ἀνάγκαι*, negotia necessaria, *Berufsgeschäfte*, *Pflichten*, et omnino, quae iubentur ex iusto et necessario vitae ordine. Plin. epp. 3, 4. *Collegae optimi meique amantissimi de communis officii necessitatibus praelocuti excusare me et eximere tentarunt.* Id. 8, 21. *Addidi, hunc ordinem me et in scribendo sequi, ut necessitates voluptatibus, seria iucundis anteferrem.* Id. 5, 19. *Est enim tam parcus et continens, ut non solum delicias, verum etiam necessitates valetudinis frugalitate restringat.* Hinc *socius libidinum et necessitatum* tibi erit, qui tuarum rerum omnium particeps est, non solum earum, quas ex libidine agis, sed earum quoque, quae ad necessarium vitae ordinem pertinent h. e. sempiternus, continuus comes, qui nullo tempore a latere tuo discedit interque iucunda et seria tibi adest.

Annal. II, 77.

si quid hostile ingruat, quam iustius arma oppositurum, qui legati auctoritatem et propria mandata acceperit?

Cod. Flor. testante Pichena: *quem iustius arma oppositurum, qui* etc. Recte. Ad comparativum *iustius* intelligendum est, *Pisone.* Nam *Pisonem* dicit, non Sentium Syriae praepositum; *huic* fasces et ius praetoris, *huic* legiones datas sc. neque illi. Tum pergit: *quem iustius arma oppositurum* sc. quam *hic, Piso, qui legati auct.* etc. *Quem* descendit a *quis.* Ita omnia bene se habent e

lectione MS. Sed quum ex vett. editoribus aliquis ante *qui* intrusisset *quam*, Pichena deinde MS. codice inspecto textus vulgati mendum deprehendit. Utinam ipse emendatione abstinuisset. Perperam pro *quem* posuit *quam*, quod edunt usque ad hunc diem. Vocabulum *propria* respicit ad Tiberium; et propria Tiberii mandata opponuntur mandatis, quae legatorum senatorumque consultatio sub nomine et auspiciis Tiberii Sentio dederat. Cf. infr. c. 80. *Caesarisque se legatum testabatur provincia, quam is dedisset, arceri* etc.

Annal. III, 28.

Acriora ex eo vincla, inditi custodes, et lege Papia Poppaea praemiis inducti, ut, si a privilegiis parentum cessaretur, velut parens omnium populus vacantia teneret. Sed altius etc.

Sic Lipsius locum constituit, verbo *visi*, quod legitur in MS., mutato in *ut si*, eaque emendatio ceteris virorum doctorum coniecturis palmam praeripuit, licet speciem tantum veritatis habeat. Nam verba: *si a privilegiis parentum cessaretur*, in hac serie idoneo sensu carent. Interpretantur: „si ab illis privilegiis per matrimonia et susceptos liberos appetendis coelibes cessarent." Sed primum video, eas ambages in dicendo Tacito minime convenire, quales hac interpretatione ei affingunt; tum singula loci membra non satis apte cohaerere. Quae enim est dictio: *Custodes praemiis inducti sunt, ut populus vacantia teneret!* Et si a privilegiis parentum cessatur h. e. ut volunt interpretes, si quis ineundo matrimonio educandisque liberis praefert coelibatum et orbitatem, inde non statim vacantia consequuntur, quae populus teneat. Id cuivis clarum erit, qui legis Pap. P. rationem recte novit. Vana igitur est sententia. Minus etiam va-

lent, quae alii coniecere. Muretus delet *inditi*, legitque: *custodes etiam leg. P. P. praem. inducti*, et *ut si* pro *visi*. Rhenanus: *inditi custodes, et leg. P. P. praem. inducti, si a pr. p. c.* Vertranius: *praemiis inducti, ne si a pr. p. cessaretur, velut p. o. populus, vacantia teneretur.* Salinerius: *vi si a pr.* etc., ut ita et praemiis et vi inducti dicantur cives ad matrimonia contrahenda. Danesius: *nisi a priv.* etc. Ernestius: *acriora ex eo vincula indita, custodes ex leg. P. P. pr. inducti, ut si* etc. Sed nihil sani ex hisce coniecturis elici potest, quo certe acquiesceremus. At nisi vehementer fallor, hunc etiam locum in integrum restituemus legendo *iussi* pro *visi*, quod dicunt esse in MS. cf. supr. not. ad An. 1, 8. Distingue: *Acriora ex eo vincla, inditi custodes et lege Papia Poppaea praemiis inducti iussi, a privilegiis parentum cessaretur, velut parens omnium populus vacantia teneret; sed altius* etc. Verte: *sie* (custodes) *hatten den Auftrag, es sollte von den Elternvorrechten abgestanden werden, das Volk, gleichsam der Vater von Allen, das erbenlose Vermögen in Besitz nehmen; aber* etc. Nimirum lege Papia P. lata, videndum erat, ne privilegia in ea lege solis parentibus constituta retinerentur ab iis, qui contra legem in coelibatu et orbitate permanerent, postquam temporis spatium ad ineunda matrimonia concessum praeterierat. Porro circumspiciendum erat, ubi essent vacantia secundum illam legem ad populum deferenda. Quare inditi custodes et iussi (sc. videre, ut) a privilegiis etc. cf. infr. 15, 35. *Iussi accusatores obiicere* etc. *Cessaretur* et *teneret* sunt optativi orationis obliquae, quales saepissime apud Tacitum occurrunt. cf. An. 1, 11. *non ad unum omnia deferrent.* Ibid. c. 19. *decernerent legatos* etc. An. 12, 15. *pepigere .... certaret ... capesserent.* An. 12, 41. *spectaret populus* etc. An. 15, 6. *cetera ex rerum usu sociarent partirenturve.*

Annal. III, 58.

nunc, deum munere, summum pontificum etiam summum hominum esse, non aemulationi, non odio, aut privatis adfectionibus obnoxium.

MS. *non aemulatione.* Ex Mureti emendatione edunt *aemulationi,* scilicet propter vocabulum *obnoxium.* Frustra. Sine labe est lectio codicis MS. Nimirum triplici ratione utitur vocabulum *obnoxius.* Ponitur cum dativo rei, ut significet eum, in quem illa res vim suam exercet, ut supr. 2, 75. *Fortunae obnoxia;* infr. 16, 6. *amori uxoris obnoxius;* 14, 40. *insidiis obnoxius.* Deinde et nude positum invenitur et sine ullo casu, ut indicet eum, qui sui non est compos, aut quia studio alicui indulget, aut quia alieno arbitrio tenetur. cf. Tac. Hist 1, 1. *inter infensos vel obnoxios;* Hist. 2, 56. *obnoxiis ducibus.* Sueton. Tib. 12. *obnoxium et trepidum egit.* Seneca de ira 3, 5. *Cum placidissimo et facillimo et minime obnoxio morosoque vivendum est.* Sallust. Cat. c. 14. *dum illos obnoxios fidosque faceret.* Verum ut constet de caussa, quae ita obnoxium aliquem reddat, ea additur in sexto casu. cf. supr. 2, 75. *Agrippina infelici fecunditate fortunae obnoxia;* infr. 14, 40. *orbitate et pecunia insidiis obnoxius.* Eundemque ablativum et hic habes, ut *non aemulatione, non odio, aut privatis adfectionibus obnoxium* intelligas eum, qui neque ob aemulationem, nec ob odium, aut privatas adfectiones sibi insitas obnoxius (*befangen*) sit. Contra *aemulationi obnoxius* est, qui aemulos habet; *odio* (dativ.) *obnoxius,* quem alii odere, invisus; *privatis adfectionibus* (dativ.) *obnoxius,* non qui ipse adficitur aliqua cupiditate in alios, sed qui aliorum in se cupiditates patitur. Hoc vero minime vult Servius; imo dicit Tiberium, ut summum, in neminem uti aemulatione, odio aut privatis adfectionibus h. e. eum non aemulatione, non odio a. p. a. obnoxium esse. Ceterum *privatae adfectiones*

sunt, quae Nostro Agric. c. 19. dicuntur *studia privata*, favor ex necessitudine aut gratia privata oriundus, *Parteilichkeit*; quo sensu aptissime opponuntur *aemulationi* et *odio*. Vides, sic inutilem quoque evadere Acidalii coniecturam, qua censebat delendum esse *aut*.

Annal. IV, 65.

mox Caelium adpellitatum a Caele Vibenna, qui dux gentis Etruscae, cum auxilium adpellatum ductavisset, sedem eam acceperat a Tarquinio Prisco, seu quis alius regum dedit.

MS. *cum aux. adpellatum tavisset*, corrupto capite verbi. Hinc in emendando loco multi desudarunt. Lipsius: *cum auxilium tulisset*, deleto verbo *appellatum*, quod e priore linea huc decidisse putat. Rhenanus: *appellitavisset*. Ferretus et Vertranius: *aux. adpellatum ductavisset*, quod hodie vulgo editur. Pichena: *ad bella tum ductavisset*. Recepit Broterius, omissa particula *tum*. Ryckius: *ad bella tum tulisset*. Crollius: *adportavisset*. Heinsius: *cum auxilium popularium adductavisset*. Chiflet: *in auxilium adpellatus itavisset*, et si quae aliae sunt coniecturae. Omnes fere in eo consentiunt, sermonem hic esse de auxilio Etruscorum Romanis misso, duce Vibenna; quae tamen res neque a scriptoribus historiae Romanae prodita est, neque per se ipsam veritatis speciem refert. Dionys. Hal. 2, 36. diserte tradit, Caelium sponte, non adpellatum venisse. Et profecto, qui auxilium petenti adfert, non solet sedem cum suis accipere a petitore; sedem accipit, qui sede caret, exul, patria expulsus. Nemo autem mihi persuadebit, tum temporis ducem copiarum publice ab Etruscis in auxilium Romanorum missum cum exercitu suo Romae fixisse sedem. Nugae sunt, nec ulla fide digna, quae nunc in libris circumferuntur.

Si quid recte video, facillime locus sanabitur, si legimus: *cum auxilium adpellatum itavisset*, eadem structura, qua sunt verba infr. c. 66. *suum sanguinem perditum ibat.* Declaravit Ernestius, *adpellare auxilium*, ut sit implorare, orare auxilium, bonam esse phrasin, nec quisquam dubitavit. Iam vero *dux gentis Etruscae* non est, qui imperium copiarum Etruscarum habet, *Heerführer des Etr. Volks*, uti vulgo vertunt; sed vocabulum *gens* eo potius sensu valebit, quo dicitur de numero familiarum iisdem maioribus utentium, ut ita *dux gentis* sit caput familiarum ad unam gentem pertinentium cum clientibus. Is cum suis patria profugus ob vim adversariorum quum auxilium civitatum vicinarum implorasset h. e. *quum auxilium adpellatum itavisset*, sedem accepit a Tarquinio. *Itavisset* Noster scribit, quoniam, qui auxilium aut sedem quaerit, ab una civitate ad alteram supplex proficiscitur. De crebris itionibus id verbum etiam apud Ciceronem aliosque obvium est, et Chifletius in ep. ad Lipsium iam pridem coniectaverat, in *tavisset*, quod est in MS., latere *itavisset.* Sed reliqua is constituit, ut supra dictum est.

Annal. V, 3.

donec pauci, quis nulla ex honesto spes . . . . . ut referretur postulavere, promptissimo Cotta Messalino, cum atroci sententia.

Lange in dissertatione, qua dial. de Orat. Tacito vindicat (cf. Acta Seminar. Reg. et societat. philol. Lips. Vol. I. p. 80.) hunc Taciti locum mendo purgare studet. Dicit verba: *cum atroci sententia*, ineptissimum additamentum esse e loco 6, 5. intrusum, ubi Cotta M. dicitur saevissimae cuiusque sententiae auctor. Sed vereor, ut vir doctissimus locum satis accurate perspexerit. Videtur enim verba accepisse sic, ut *cum* pendeat a *promptissimo*.

Tum haud dubie sunt inepta. Iam vero hic quaedam sunt supplenda e praecedentibus. Nimirum ad *promptissimo Cotta M.* intellige: ad postulandam relationem, eamque postulavit *cum atroci sententia.* Sic omnia bene procedunt, nec quidquam inepti superest.

Annal. VI, 5.

Exin Cotta Messalinus, saevissimae cuiusque sententiae auctor, eoque inveterata invidia, ubi primum facultas data, arguitur pleraque: C. Caesarem, quasi incestae virilitatis, et, cum die natali Augustae inter sacerdotes epularetur, novendialem eam coenam dixisse: querensque etc.

Sunt, qui *pleraque* virgula seiungant a verbo *arguitur* atque trahant ad sequentia, interposita praepositione *in*, ut Cotta *pleraque in C. Caesarem ... dixisse* intelligatur. At contra MS. addi *in* tum demum licebit, si verba sine praepositione illa stare nequeant. Iam vero nil impedit, quominus legamus: *arguitur pleraque* h. e. multa. Dein exempli caussa adferuntur, quae dixit de Caio Caesare, de coena novendiali, de Tiberiolo suo. Verba: *C. Caesarem, quasi.... dixisse*, structura sua non minus bene se habent, quam si legeris: *pleraque in C. Caesarem.... dixisse.* Nam *dicere aliquem quasi incestae virilitatis* est ita loqui de aliquo, quasi sit incestae virilitatis. *Incestam virilitatem* explicant virilitatem incesto contaminatam. Iam vero potissimum quaeritur, quod incestum hic sit intelligendum. In universum ea vox significat libidines monstrosas, naturae et religioni repugnantes, qualis est res, quam vir habet cum viro (Sueton. Tib. 43.), filius cum matre (Sueton. Nero 28.) taliaque; porro stupra Vestalium (Sueton. Dom. 8.). Iam *virilitatem incestam* hic intelligemus aut de virilitate maribus prostrata, aut

de eo, quod illum impuberem adhuc abusum virilitate scribit Sueton. Cal. 24. *Ex his Drusillam vitiasse virginem praetextatus adhuc creditur.* Ne tamen putes *incestam virilitatem* eo respicere, quod ibi frater cum sororibus rem habuisse dicitur; ea enim non est *virilitas* incesta, sed incestum simpliciter, vel incesta libido. Vocabulum *virilitatis* satis testatur hic esse sermonem de impudicitia, quae it contra naturam viri. Coniectura Freinshemii: *Caiam Caesarem, quasi inc. vir.*, quae placet Ryckio, Iac. Gronovio, Ernestio, ingeniosa quidem, attamen acutior est, neque necessariam puto. *Augustae* Lipsius corrigit in *Augusti*, quia Liviae natalem diem post mortem eius epulo ludisve celebratam non invenit. De Augusto autem id satis certum est. Alii tamen censent, natalem Augustae, de quo hic est sermo, potuisse etiam celebrari vivae adhuc. Potuit haud dubie. Attamen Livia obiit an. urb. 782; iam vero narrantur res anni 785. Nonne putas, Tacitum additurum fuisse vocem *quondam* vel simile quid, si tam veterem rem intellexisset? Certius igitur haec accipiemus de epulis natalitiis post mortem Augustae usurpatis. At Tiberius vetuit honores Augustae defunctae ab senatu decretos. Vetuit; neque tamen aperto odio aut praerupta detrectatione; sed specie moderationis, uti Noster docet supra 5, 2. Nec omnes omnino honores memoriae matris negavit, sed *honores memoriae eius ab senatu decretos imminuit, paucis admodum receptis.* Dio autem 58, 2. *οὐ μέντοι καὶ μόνα οἷ ἡ βουλὴ, ὅσα ἐκεῖνος* (Tiberius) *ἐπέστειλεν, ἐψηφίσατο, ἀλλὰ κ. τ. λ.* Inde satis apparet, honores haud dubie in memoriam Augustae, adprobante ipso Tiberio, esse institutos, neque tamen nimios. Nimirum ne coelestis religio decerneretur, intercessit Tiberius. Iam epulae die natali celebratae non sunt coelestis religio; nam et viventibus puris putis hominibus is honor habebatur e.c. Seiano secundum Dion. 58, 2. Caio Caesari, Iuliae filio, ut testatur idem Dio 54, 8.

Quare nil obstat, quo minus hic cogitemus de epulis die natali Augustae post mortem eius celebratis per collegia sacerdotum. Iam nil nos morabitur *novendialis coena,* quam quo potissimum respectu Cotta dixerit, valde ambigunt interpretes. Alii enim coenam novendialem illum dixisse censent, quod plane fuerit taciturna ob metum ex multiplici caede ortum; alii, quod Augusta Tiberium pepererit, feralem et exitiosum plurimis; alii, quod morti proxima tum Livia fuerit; alii, ob intermortuam Liviae potentiam; alii alia. Sed profecto negligentiae accusandus esset Tacitus, si tam obscurum tectumque illius vocis sensum ne uno quidem verbo lectori aperuisset. Quod cum non fecit, tutissimum erit, ut simplicissima loci interpretatione utamur. Epulas celebrant in memoriam demortuae Augustae, non tamen novendiales, quae mortuis vulgo celebrari solebant, sed in praecipuum illius honorem decretas et natali eius die celebrandas. Cotta iocose eam coenam dicit novendialem, *ein Leichenessen,* quippe celebratam defunctae: qui iocus non poterat non in contemtum Augustae accipi.

Annal. XI, 9.

At Parthi imperatores, cum pugnam pararent, foedus repente iciunt, cognitis popularium insidiis etc.

MSS. et vett. edd. habent: *foedus repente iaciunt,* nisi quod cod. Agr. refert; *f. r. iciunt.* Hoc receptum a Bip. et Oberlino hodie editur. Aurelius volebat: *sanciunt,* alii: *faciunt.* Nimirum *iacere foedus* pro *icere f.* inusitatum videbatur viris doctis. Rectissime. At iam *foedus iacere* plane alium quidem quam *icere*, idoneum vero sensum fundit; significat enim, imperatores repente verba fecisse de foedere sanciendo, sermones coepisse de foedere. Sic frequentissime hoc verbo Tacitus utitur.

cf.

cf. infr. 15, 50. *dum scelera principis et finem adesse imperii. . . . inter se aut inter amicos iaciunt* etc. Supra 4, 7. *Neque raro, neque apud paucos talia iaciunt;* 4, 68. *iacere fortuitos sermones;* 3, 66. *Mamercus antiqua exempla iaciens;* 1, 10. *quaedam de habitu cultuque et institutis eius iecerat;* 6, 4. *si qua discordes iecissent;* 6, 31. *simul veteres Persarum ac Macedonum terminos . . . iaciebat.* Et sic alibi. Hinc plane non intelligo, quomodo in verbis: *foedus repente iaciunt*, offendere potuerint, nisi forte cod Agr. auctoritate Florent. aliosque libros superet. *Iciunt*, quod nunc edunt, contortam plane narrandi rationem Tacito obtrudit. Scilicet primum refert *foedus repente ictum*, tum *congressos cunctatos*, deinde complexos *dextras*, denique *apud altaria Deum pepigisse*, ut ita, quod ultimum erat, primo loco ponatur.

Annal. XI, 17.

Non enim irrupisse ad invitos, sed accitum, memorabant.

Memorabant. Qui? Scilicet proceres et amici regis; nam mox sequitur alacre vulgus, quod adstrepebat. Sed quis est *hic*, cui adstrepebat vulgus? Vertunt *dem*, *diesem*, ut intelligatur oratio praecedens, cui plausum dederint. At tum potius scribendum erat *his*, non *huic*, quod nemo unquam Latinorum ita usurpavit. Quae cum ita sint, valde dubito de loci sanitate. Nimirum legendum esse puto *memorabat*, sc. Italicus; intellecto *se* ad verbum *irrupisse.* Nam Italico demum talis oratio convenit. Verba: *non enim*, caussa fuere, cur putarent, hunc locum cum praecedentibus artius cohaerere atque pertinere ad eos, qui Italicum sequerentur. Sed *τὸ enim* potius respicit ad ea, quae ante haec Italici verba dicta, hic autem, ut intelligenda, omissa sunt. Respondet rex iis,

qui ipsum spernerent, docetque, illos non recte facere. Quae si ante cogitas, bene pergitur: *Non enim* etc. Potest tamen τὸ *enim* et accipi, ut additamentum scriptoris, ut quoad sensum pertineat ad *memorabat*.

Annal. XI, 31.

Tum potissimum quemque amicorum vocat.

Sic habet Cod. Agr. teste Heinsio; tacet vero Ryckius. Reliqui libri, quantum innotuit, omittunt *quemque*, quod tamen potissimi interpretum necessario addi censent. At videtur hic *potissimum amicorum* esse τὸ κράτιστον τῶν ἑταιρῶν h. e. summam potissimorum amicorum. Quem usum a Taciti stilo non adhorrere docet locus infr. 15, 61. *quod erat saevienti principi intimum consiliorum*, de Poppaea et Tigellino.

Annal. XII, 2.

At Pallas id maxime in Agrippina laudare, quod Germanici nepotem secum traheret, dignam prorsus imperatoria fortuna stirpem nobilem, et familiae Claudiae quae posteros coniungeret; ne femina expertae fecunditatis, integra iuventa, claritudinem Caesarum aliam in domum ferret.

Sic hodie locus vulgatur. *Dignam* petitum ex cod. Agr. Ceteri MSS. et vett. edd. habent *dignum*. Non tamen conveniens videbatur interpretibus, imo in Britannici contumeliam dictum, quod Pallas Neronem *dignum prorsus imperatoria fortuna* ferat. Sed dignum imperatoria fortuna iudicari nondum est imperatorem destinari; spectat ea vox simpliciter ad receptionem in domum familiamque imperatoriam, eoque honore dignum dici Ne-

ronem, quis aegre feret? Aliqua saltem ratio debuit addi, cur Pallas id maxime in Agrippina laudaret, quod Germanici nepotem secum traheret. Hinc suadeo, ut *dignum* restituatur et virgula post *dignum*. *Stirpem nobilem* sc. Neronem h. e. natum ex nobili stirpe. Nam *stirps* hic valet non de eo, unde aliquis, sed de eo ipso, qui inde natus est, *ein Sprößsling aus edlem Blute*. cf. Liv. 1, 1. *Brevi stirps quoque virilis ex novo matrimonio fuit*. Iam vero parum acre, parumque decens I. Fr. Gronovio videbatur, eum eodem ordine vocari *stirpem nobilem*, quem ante auctor appellavit *dignum imperatoria fortuna*. Sed intellige *dignum* de ingenio animique indole, tum non absurdum erit, eundem laudari a stirpe nobili. Verba: *et familiae Cl. quae posteros coniungeret, ne femina exp. fecunditatis integra iuventa cl. C. a. i. d. ferret*, perspicuitatis caussa inverso ordine ponuntur pro: *et ne femina exp. fecunditatis*, *quae* (femina) *fam. Cl. posteros coniungeret, integra iuv. cl. C. al. i. d. ferret*. Nimirum P. praeter Germanici nepotem, quem secum traheret, id quoque in A. laudabat, quod matrimonio Claudii cum illa inito caveretur, ne femina etc. Nam Nerone in domum imperatoris ob matrimonium matris recepto, familiae Claudiae posteri, in duas familias tum divisi, rursus in unam coniungebantur. Vernacule vertas: *Aber Pallas pries dies am meisten an der Agrippina, daſs sie den kaiserlicher Hoheit durchaus würdigen Enkel des Germanicus mit sich führte, einen Spröſsling aus edlem Blute, und daſs sie, welche der Claudischen Familie Nachkommenschaft einigen würde, eine Frau von erprobter Fruchtbarkeit, in frischer Jugend, den Ruhm der Caesaren nicht in ein anderes Haus brächte*. Alii alio modo locum constituunt. Lünemannus sequitur Oberlinum, cuius tamen lectio sana esse nequit. Nam si in appositione accipis verba: *dignam* .... *nobilem*, intolerabile est vocabulum *nobilem* in fine additum. Hinc Strombeckius in versione omisit. Sin vero

incipis novam sententiam a voce *dignam*, priora nimis nude posita esse videntur. Deest tum ratio, cur id potissimum in Agr. laudarit Pallas, quod G. nepotem secum traheret. Bekkerus eadem habet, nisi quod τὸ (;) post *coniungeret* mutat in virgulam. Vidit enim, quam inepta sit ratio eorum, qui verba: *ne femina* . . . *ferret*, dissuadentium sensu accipiunt. Ruperti vult: *quod* , . . *traheret et stirpem nobilem*, *dignam prorsus imp. fortuna*, *et f. Cl. q. p. coniungeret*. Scilicet *stirps nobilis* *trahitur!* Ricklefs tamen felicem illam praedicabat coniecturam et in versione secutus est.

Annal. XII, 41.

Britannicus in praetexta, *Nero triumphali cum veste*, *transvecti sunt*.

MSS. et vett. edd. *triumphalium veste*. Sed interpretes *triumphalium vestem* dici posse negant voluntque legi: *triumphali in veste*, vel *triumphantium veste*, vel denique *triumphali cum veste*, quod hodie vulgatur. Graeci tamen, quos inter Romanos nemo Tacito felicius est imitatus, eiusmodi genitivum plur. num. frequentant, qui inserviat indicando rerum generi, cui res aliqua est adnumeranda. Cf. Xenoph. Sympos. 7, 2. *τροχὸς τῶν κεραμεικῶν* h. e. *τροχὸς κεραμεικός*. Theophr. Ch. 5. *Θυριακὰς τῶν στρογγύλων ληκύθους καὶ βακτηρίας τῶν σκολιῶν ἐκ Λακεδαίμονος*. Lucian. D. mort. 10, 9. *λαβὼν πέλεκυν τῶν ναυπηγικῶν ἀποκόψει τὸν πώγωνα*. Cf. Matth. Gr. Gr. §. 354. b.

Annal. XIII, 16.

Illic epulante Britannico, quia cibos potusque eius delectus ex ministris gustu explorabat, ne omitteretur institutum, aut utriusque morte proderetur scelus, talis dolus repertus est.

MSS. et vett. edd. *quia cibus potusque eius delectus ex ministri gustu explorabatur.* Sed quia de idoneo sensu horum verborum desperabant, viri docti locum constituere in eum modum, quo hodie editur. Attamen nihil sanius esse potest, quam lectio MSStorum. *Delectus* Britannici *cibus potusque* est, quem sibi ex iis, quae apponebantur, delegerat, vel deligi iusserat. Non enim omnium, qui una sedebant vescentes, liberorum nobilium cibos potusque, antequam degustarent, exploratos esse putabis; sed principum modo liberorum, ut hic Britannici. Ceteri utebantur cibo potuque non explorato. Recte igitur legimus: *cibus potusque eius delectus,.. explorabatur.* Deinde: *ex ministri gustu explorabatur,* multo melius dici videtur, quam *delectus ex ministris gustu explorabat.* Nam cur *delectus ex ministris?* Scilicet ut denotetur minister ad eam rem destinatus. Verisimilius tamen est in universum id fecisse, qui cibos potusque ministraret; tum vocab. *delectus* otiosum est. Nec degustabat minister eo consilio, ut sibi constaret de veritate ciborum, sed potius degustabat, ut ex eius gustu principi cibus exploratus esset, h. e. *explorabatur ex ministri gustu.*

Annal. XIII, 43.

mox, quia inquisitionem annuam impetraverant, brevius visum, urbana crimina incipi, quorum obvii testes erant.

In errorem hic abiisse videntur, qui praeeunte Ernestio *suburbana* mutarunt in *urbana.* Ernestius ad h. l.

scribit: „Cur *suburbana?* omnia ista in urbem perpetrata. Vereor, ne *sub* ortum sit e terminatione praecedentis verbi. *Urbana crimina* opponuntur *provincialibus*." Sexcenties sic Ernestius vocabulis vicinis adulteria imputavit, saepe, ut hic, vana suspicione. Nam *suburbanum* Romanis non stricte semper valet de eo, quod ad regionem suburbanam pertinet; sed in universum etiam denotat, quod obvium neque longinquum est, saepiusque *suburbana* et *longinqua* invicem sibi opponuntur. cf. Cicer. in Verr. 2, 3. *Populo Romano iucunda suburbanitas est huiusce provinciae.* Plin. epp. 8, 24. *Quo magis nitendum, ne in longinqua provincia quam suburbana .... humanior, melior, peritior fuisse videaris.* Nimirum *longinqua* provincia est Bithynia, *suburbana* Achaia. Sic et hoc loco crimina *suburbana* non sunt, quae in regione suburbana commiserit Silius, sed opponuntur longinquis, ad quae eruenda profectione in Asiam annuaque inquisitione opus erat.

Annal. XIV, 20.

An iustitiam augurii et decurias equitum egregium iudicandi munus expleturos, si fractos sonos et dulcedinem vocum perite audissent?

Quae interpretes ad hunc locum protulere, omnia fere sine Taciti iniuria aut alicuius damno possunt deleri. Ita enim sunt comparata, ut in tenebras quidem lectorem abducant, neque tamen quidquam lucis scriptori adfundant. Sermo est de proceribus Romanis, qui, specie orationum et carminum, scena pollui dicebantur. Iam cavillantur eosdem verbis: *An iustitiam .... audissent.* Verbum *expleturos* pertinet ad *proceres*, de quibus paulo ante dictum erat. *Iustitia* in universum significat omnium legum omnisque iuris complementum. Intra iustitiam

alicuius rei igitur continetur, quidquid ad eam rem pertinet, *τὰ δίκαια.* Hinc iusta pax, iustus exercitus, iusta acies aliaque iusta dicuntur, quae habent, quod ad complementum suum pertinet. *Iustitia augurii* secundum haec innuit omnia, quae ad augurium rite capiendum pertinent. Augurium vero esse apud magistratus, quis nescit? *Augurium capere* et *inire magistratum* unum idemque est; hinc etiam *auspicari.* Iam *iustitiam augurii explere*, quid erit nisi cuncta rite perficere, quae ad augurium h. e. ad auspicandos magistratus ineundosque honores requiruntur. Cf. Annal. 3, 59. *Auspicia saltem gentile apud solum inciperet*; 4, 36. *auspicandi gratia tribunal ingressum.* Ita licet probabiliter loci sensus explicari possit, magis tamen eo inclino, ut legam: *An iusta etiam augurii* etc. eodem sane sensu, meliore dictione. Vid. infr. c. 37. *iusta ducis.* — *Decurias equitum* vero, quas et quo sensu dicat, scriptor ipse explicat adpositione: *egregium iudicandi munus.* cf. Sueton. Octav. c. 32. Verba magnifica et splendida, quorum simplex sensus est hic: An magistratus etiam et iudicia aliquando bene capessituros esse tales adolescentulos, qui nunc ludis tractandis tempus potius terant, quam rebus agendis animum advertant. Vernacula: *Ob sie auch den Erfordernissen der hohen Aemter und den Decurien der Ritter, dem herrlichen Richterberufe, genügen würden, wenn sie* etc.

Annal. XV, 40.

Nec dum posito metu, redibat levius rursum grassatus ignis, patulis magis urbis locis; eoque strages hominum minor.

Locus in MSS. corruptus. Flor. teste Pichena: *Nec dum p' metus aut rediebat libis, i. sum* (secundum J. Gronovium: *lebuis. I. rursum*) *grassatus ignis.* Duo alii MSS.

in eadem bibliotheca habiti teste J. Gronovio: *nec dum post metus aut rediebat levis et rursum g. i.* Sic et Corb. apud Broterium. Cod. Agricol. *Nec dum posito, metus redibat non levis et rursum grassatus ignis.* Bud. 1, m. *necdum post metus redibat levis rursus gr. i.* Guelf. Harl. Ies. *necdum post metus aut residebat levis: necdum posito metu satis credebatur, cum levis rursum grassatus ignis* (e diversis codd. ducta). Posteriora sunt in Bodl. et ed. Puteol. nisi quod haec legit: *Nedum.* Ed. pr. *necdum metus post aut redibat levis, et rursum grassatus ignis.* Emendationis nomine varia dederunt viri docti. Rhenanus: *Necdum posito metu, redibat. Levis rursum gr. ign.* Muretus sequitur Puteol. deleta tantum voce *levis.* Acidalius more suo per transpositionem loco consulere studuit. Pichena Rhenani textum retinuit, mutata interpunctione: *n. p. m., redibat levis r. g. i.* Lipsius: *necdum posito metu rediit, at levius rursum grassaturus ignis.* Brotier e vestigiis MS. Corb. et ed. pr. *necdum posito metu, redibat haud levis, et rursum grassatus ignis.* Bip. probant lectionem Agr., substituto tamen *haud* pro *non.* Hillerus Rac. 20. coniecit: *necdum posito metu, redibat levius rursum grassatus ignis.* Recepit Oberlinus, retinuere sequentes editores, quod miror. Nam mira profecto est locutio: *grassatus ignis redibat.* Putabam ignem *grassantem* vel *grassaturum* quidem, neque vero *grassatum ignem redire.* Quae opinio quum adhuc animo inhaereat, non possum Hilleri coniecturam probare, aliamque lectionem quam accuratissime e MS. Flor. conglutinavi: *Nec diu post metus haud redibat levis et rursum grassatus ignis, patulis* etc. *Diu* et *dum*, *aut* et *haud* saepius permutari in MSS., quis nescit? Transpositio: *haud redibat levis* pro *haud levis redibat* vel *redibat haud levis*, neminem offendit; nam Hist. 3, 75. Noster scribit: *Hic exitus viri haud sane spernendi.* Compendium *p'* in MS. Flor. sine dubio est *post* potius quam *posito*, uti accepere aliorum

codicum exaratores. Neque tamen cuiquam haec obtrudam, quando in coniecturis nemo facile omnibus satisfacit. — Mox ante *delubra* more suo Tacitus omittit *sed*; quare Bekkerus rectissime pleniorem interpunctionem ibi sustulit, reposita virgula.

Annal. XV, 44.

Mox petita diis piacula, aditique Sibyllae libri etc.

Sic hodie edunt e I. Fr. Gronovii opinione, ut intelligas conquisita piacula sive sacrificia piacularia, quae diis fierent. Libri vett. *petita a diis piacula*. Recte. Nam opponuntur hic *piacula a Diis petita* (h. e. divina consilia) *humanis consiliis*. Piacula antiquitus a Diis esse petita h. e. deos esse interrogatos de placamentis, quae fieri vellent, quis nescit? Dii autem respondebant per oracula, apud Romanos per libros Sibyllae. Hinc explicandi caussa additur: *aditique S. l.*

Annal. XV, 52.

Plerique, Vestini quoque consulis acre ingenium vitavisse Pisonem crediderunt, ne ad libertatem moveretur, vel delecto imperatore alio, sui muneris rempublicam faceret.

Censeo cum Pichena legendum esse: *ne ad libertatem oriretur*, e vestigiis MS. Flor. in quo teste Pichena habentur haec: *ne ad libertatem moreretur*; alii prodiderunt ibi esse: *moveretur*, unde coniicio ambigue scriptam esse literam tertiam. *Oriretur* vel *oreretur* ab *oriri* (de utraque forma cf. interpretes ad Sueton. Tib. c. 37) significat *surgeret*, et exquisite Noster scripsit de consule, memor formulae: *Oriens consul magistrum populi dicat*. Vel. Longus lib. I. de orthogr. p. 2234. Putsch. Haud multum abhorrent

MSS. Vatic. Reg. Agr. ed. pr. *ne ad libertatem moraretur*. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. ed. Puteol. sqq. *ne a libertate moveretur*.

Annal. XVI, 20.

At Minucium Thermum, praetura functum, Tigellini simultatibus dedidit, quia libertus Thermi quaedam de Tigellino criminose detulerat etc.

Pro *dedidit*, quod MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. ed. Puteol. sqq. referunt, Flor. Reg. Bud. Agr. Corb. ed. pr. habent *deditum*, aperto vitio. Attamen in Guelf. 2. m. etiam addidit *um*. Et profecto *dedidit Thermum Tigellini simultatibus*, non satis apta est formula, quod iam viderat Acidalius. Provocant quidem ad c. 10. *neve consulatus sui quondam collegam dederet liberto*. Sed ille locus aliter se habet. Nam *dedere aliquem alicui* (*ausliefern, überliefern*) iusta est locutio; cf. Sueton. Jul. 24 *dedendum eum hostibus*. Minus tamen recte dicitur, *dedere aliquem alicuius simultatibus*, et neminem elegantium scriptorum ita scripsisse credo. Hoc potius est *dare*. cf. Ann. 1, 10. *Sane Cassii et Brutorum exitus paternis inimicitiis datos*. Similia sunt 2, 58. 3, 69. 15, 59. et alibi. Quare et hic unice verum esse videtur *dedit* h. e. concessit, permisit. Quia vero non frustra adesse puto *deditum* in libris vett. potioribus, satis commodum erit, ut legamus: *dedit reum* h. e. Tigellini simultatibus concessit, ut Thermus fieret reus. Nam Tigellinus Thermum poscebat reum, Nero dedit.

Histor. I, 1.

Postquam bellatum apud Actium, atque omnem potestatem ad unum conferri pacis interfuit, magna illa ingenia cessere.

Omnem potestatem dedit Puteolanus. Suffragantur MSS. nonnulli, uti prodidit Broterius, omissa diserta eorundem librorum nominatione. Flor. Agr. Corb. ed. pr. habent *omnem potentiam.* Recepere Ryckius et J. Gronovius. Bud. et Cod. Danes. *omnium potestatem.* Probavit Rhenanus. MS. Reg. *omnium potentiam.* Ernestius revocavit lectionem Puteolani; secuti sunt Broterius, Oberlin., et recentiores omnes. Bipont. legunt *omnem potentiam.* Recte. Nam *omnem potentiam* e Flor. aut *omnium potestatem* secundum Bud. omnino legendum esse censeo; minime autem fero, quod ex utraque lectione conflatum est: *omnem potestatem.* Nimirum *potestas* est *ἐξουσία, potentia δύναμις. Potestas* igitur significat non qualitatem alicuius subiecti, sed conditionem, qua quis utitur, ut aliquid possit h. e. innuit aliquid alicui licere. *Potentia* autem indicat qualitatem, qua quis potens est, sicut prudentia est qualitas prudentis, sapientia sapientis. *Tua potentia* tu ipse es, quatenus es potens; *tua potestas* vero minime tu ipse es, sed conditio, qua uteris. Hinc *regia potentia* significat summam virium, quae regi insunt; *regia potestas* innuit conditionem, qua rex utitur adversum alios h. e. iura regia. Iam si quis agit e potestate, facit id, quod licet h. e. repetit agendi rationem e iuribus suis; sin agit e potentia, non respicit alios, sed vires tantum suas. Quare vocabulum *potentia* valet de tyrannide; *potestas* autem de magistratu legitimo, ut potestas consularis, censoria, tribunicia etc. Egregie haec illustrantur variis Taciti locis. Cf. Ann. 3, 69. *Satis onerum Principibus, satis etiam potentiae* (h. e. satis virium, quibus praevaleant). *Minui iura, quotiens gliscat potestas* (h. e. au-

gendis Principum iuribus augeri quidem eorum potentiam, at minui ceterorum iura). Ann. 6, 8. *quis iuvandi nocendive potentia* h. e. quis vires sufficiunt ad iuvandum nocendumve. At quis iuvandi nocendive potestas, sunt, quis licet iuvare vel nocere. Potest igitur alicui esse potestas aliquid faciendi, ut desit tamen potentia; contra potentiam aliquid faciendi non semper comitatur potestas. Hist. 1, 13. *Potentia principatus divisa in T. Vinium, consulem, et Cornelium Laconem, Praetorii praefectum. Potentia principatus* h. e. vis principatus. Nam *potestas principatus* indicat iura ea, quae principi delata sunt. Si *potestas principalis* divisa est in plures, tum plures sunt principes, ut potestas consularis, quae divisa fuit in duos. Propterea potissimum haec loca excitavi et fusius tractavi, quo docerem, parum recte statuisse Seebodium in observv. 1812. cum Agr. vita editis, qui iisdem locis utitur, ut probet, serioribus, quibus et Tacitus noster floruerit, temporibus, quod inter vocabula *potestas* et *potentia* interesset, auctores non curiose attendisse. Imo omnium aetatum scriptores idonei constanter observarunt eum, quem indicavi vocabulorum usum. Iam ad praesentem locum ut redeamus, Ernestius non satis recte statuit, potentiam conferri non posse. Quid enim impedit, quo minus aliquem potentem faciamus delata ampliori potestate? Altera lectio eundem sensum praebet, dicendi modo differt. Nam *omnium potestas*, sive innuat omnium magistratuum iura, seu omnium rerum arbitrium, nihil inest, quod offendat. *Omnem potestatem* contortum est. Nam *omnis potestas* significat cuncta iura, quae sunt alicuius magistratus, e. c. omnis potestas consularis. Hic vero non de una aliqua potestate, sed de omnium potestate vel potius de omni potentia sermonem esse, nemo non intelligit. Tum enim temporis nondum erat potestas, quae omnem potentiam complecteretur; sed ut talis crearetur, pacis interfuit. Praestat igitur et hic lectio Flor.

Hist. I, 12.

Paucis iudicium aut reipublicae amor: multi occulta spe prout quis amicus vel cliens, hunc vel illum ambitiosis rumoribus destinabant etc.

Pro *multi occulta spe*, MS. Flor. habet: *militis occulta spe*. In lectione *militis* consentiunt Corb. Reg. et ed. pr. Pro *occulta* vero iidem habent *stulta*, plane ut Lipsii libri et Bud. qui tamen omittit vocabulum ante *stulta*. Agr. *multis stulta spes*. De ceteris MSS. ita tacent, ut videantur conspirare cum vulgata: *multi*, *occulta spe*. Quae si modo vera esset. At insunt satis luculenta depravationis vestigia. Nam primum non video, quid sibi velit vocabulum *multi*. Praecedenti voci *paucis* opponi dicunt. Sed *paucis* hic debebant opponi non *multi*, sed *plurimi* vel *ceteri*. Cf. infr. c. 25. *pauci .... ceterorum ..*; c. 81. *rari ... plurimi ..* Id satis recte intellexerunt Strombeck et Ricklefs, qui vertunt; *multi*, *die Meisten*. Porro *occulta spes* et *rumores* non satis apte coeunt. Nam si *occulta spe* destinabant, tum non simul *rumoribus* poterant destinare. Accedit quod lectioni vulgatae parum est auctoritatis a libris MSS. Hinc audacter reponenda esse verba MS. Flor. censeo, sic: *Militis occulta spe*, *prout* etc.; Vernacule: *Da die Hoffnung des Heeres verborgen war*, scilicet ignorabatur, quem miles principem destinaret. Nam imperatorem alium quidem flagitaverant, eligendi tamen arbitrium senatui ac populo Rom. permittebant. Igitur *militis occulta spes*. Quae si cognita fuisset, cives non prout quis amicus vel cliens hunc vel illum destinassent h. e. successio non ita dubia fuisset. Nam ex militis favore atque arbitrio res potissimum pendebat. Tum vero nihil adhuc de Vitellio certum. Cf. c. 14 init.

Hist. I, 20.

Adpellari singulos iussit, decuma parte liberalitatis apud quemque eorum relicta.

Sueton. Galb. c. 15. habet: *non plus decimis concessis.* Quas *decimas* Baumgarten-Crusius pro singulari liberalitatis genere accipit, non pro decimis partibus liberalitatum. Provocat ad Sueton. Cal. 26. ubi Caius scenicis ludis *decimas* maturius dedisse dicitur, ut equestria ab infimo quoque occuparentur. Hinc Tacitum de *decimis portionibus* et *decima parte liberalitatis* scribentem vir doctissimus autumat falsum esse ob ambiguum in verbis edicti vocabulum. Plutarchi c. 16. *τὸ δέκατον μέρος*, ut Graeci scriptoris, minus curat. „Nam si error, ait, in Latino, quidni Graeco?" Videtur tamen sic nimis indulgere opinioni de decimis, tanquam peculiari liberalitatis genere. Nam utcunque se habeant *decimae* illae Sueton. Cal. 26, in altero Suetonii loco Galb. 15. *decimae* intelligendae sunt de decimis liberalitatum partibus. Id satis apparet per vocabula: *non plus*, quae poscunt, ut numerus sequatur. Alias Suetonius scripsisset: *non nisi decimis concessis.* Plurali numero utitur, nec singulari: *decima parte*, plane de more suo, quia de liberalitatibus loquitur, non de liberalitate. Cf. Wolf. ad Sueton. Calig. c. 22. sub v. *magisteria.* Ceterum non puto ambigua in edictis vocabula facile Nostrum potuisse in errorem abducere, quippe rerum Romanarum quam maxime gnarum, praesertim in tali re.

Hist. I, 26.

Adeoque parata apud malos seditio, etiam apud integros dissimulatio fuit, ut etc.

Idem vir doctissimus ad Sueton. Oth. c. 6. hunc Taciti locum emendat mutando *dissimulatio* in *dissimulata,*

quae coniectura olim satis mihi arridebat. Nunc vero opinione mutata persuasum habeo, nil hic emendandum, rectius tamen locum esse explicandum. Nam *dissimulatio* hic non est *Verstellung*, uti vulgo vertunt, sed eum indicat militum animum, quo, licet seditionem ipsi non inciperent, neque nomina sua flagitio darent, tamen sinerent seditionem inultam nec impedirent. Nimirum *dissimulare aliquid* haud raro significat, non punire, non ulcisci. Sic infr. H. 2, 56. *Valens, ob lucra et quaestus infamis, eoque alienae etiam culpae dissimulator.* Ann. 15, 71. *Atilla, mater Annaei Lucani sine absolutione, sine supplicio dissimulata.* Hist. 1, 73. *Per idem tempus expostulata ad supplicium Galvia Crispinilla variis frustrationibus, et adversa dissimulantis principis fama, periculo exempta est.* Igitur *dissimulatio* hic ferme est *Neutralité.*

Hist. I, 71.

nec Otho, quasi ignosceret, sed ne hostis metum reconciliationis adhiberet, statim inter intimos amicos habuit et mox bello inter duces delegit; etc.

Hic locus prae aliis omnibus habet, de quo queratur adversus interpretes atque editores. Nam inde a Puteolano ad hunc diem omnes fere ediderunt suspectam illam lectionem: *ne hostis metum reconciliationis adhiberet,* quae, licet teste Broterio suffragentur MSS. Harl. Bodl. Ies., idoneo sensu caret. Explicant quidem: „ne Vitellius, qui hostis erat, adhiberet metum reconciliationis, ut Othonem formidabiliorem invisioremque faceret." Sic Broterius ex Petavii opinione. Huetius: „ne accepto inclementius Celso, metum Vitellio iniiceret, quominus sibi reconciliari vellet." Ernestius: „*Metum alicuius rei adhibere*, est iniicere, movere metum eius, efficere,

ut aliquis quid metuat. Et sic dixere Cicero de Or. 2, 45 (?). Quintil. 1, 8." Sed valent de his interpretationibus Lipsii ad h. l. verba: „Frons aliqua sententiae apparet; sed si excutias, vanae et falsae." Nam quidquid adferant ad defendendam formulam: *metum reconciliationis adhibere*, ut significet, quod illi volunt, vaga et languida est dictio. Accedit, quod de *reconciliatione* hic sermo esse nequit; imo de *conciliatione*. Nam Tacitus in ea re plane diversus est a Suetonio, ut verbis compositis non abutatur pro simplicibus; contra simplicia saepius adhibeat pro compositis. Hinc ubique habet *conciliare*, non *reconciliare*. Cf. Ann. 1, 58. *conciliator*; ibid. c. 41. *ad concilianda vulgi studia*; Ann. 15, 14 et 23. Hist. 1, 18. 2, 58. Quare plurimi consentiunt, mendosam esse lectionem a Puteolano vulgatam variisque coniecturis locum vexant, quo crimine et ego aliquando manus commaculavi. Nimirum vanae sunt omnes coniecturae ad hunc locum a viris doctis prolatae, veraque lectio exstat in MSS. Flor. (sc. altero, nam in Longobardico, qui dicitur, hic desunt quaedam) Corb. Agr. *sed ne hostes metueret conciliationes adhibens*. Nam quod Flor. et Corb. habent *conciliationis*, ea non est diversa lectio, sed antiqua scriptura pro *conciliationes*. Paululum inde deflectunt MS. Reg. et ed. pr. *sed ne hostes metuere conciliationes adhibens*. Guelf. test. Strombeckio: *et Otho qui ignosceret sed ne hostis metum, quasi reconciliationis statim inter intimos amicos habuit*. Bud. test. Rhenano et Oberlino: *sed ne hostis metu, reconciliationis adhibens*. Iam Ryckius quidem receperat veram illam lectionem, quae est in Flor.; sed quum genuinum sensum non reperisset nec satis clare omnia ante oculos hominum posuisset; Ernestius, Broterius et sqq. rursus neglexerunt illius emendationem. Cohaerent autem verba sic: *quasi ignosceret sed ne hostes metueret* pendent a verb. *conciliationes adhibens*, hoc sensu: et Otho, qui conciliationes adhibebat, non quasi ignosceret et ab omni ultionis cupi-

di-

dine alienus esset, sed ne hostes metueret h. e. ne metuendos hostes haberet, ne ad hostiles sibi partes transirent ii, quibus conciliandis non dedisset operam. Male Ryckius: „Caussam reddit auctor, cur Otho inter intimos amicos Celsum adsumpserit, videlicet ut adhibendo huiusmodi conciliationes gratiae hostes suos non tantopere metuere cogeretur, quoniam isti videntes hanc eius clementiam mitiores erga eum erant futuri." Imo alia plane insunt. Auctor non reddit eam rationem, quam Ryckius putabat; sed occurrit falsae opinioni, quam quis de Othone ex hoc loco colligere posset, quasi verissimum et mollissimum ad offensionem deponendam habuisset animum. Hoc enim aliquis putaret, legens, Celsum statim inter intimos amicos habitum et mox bello inter duces delectum. Sed negat Tacitus, hoc ita accipiendum esse, quasi Otho ignosceret; imo conciliationes illum adhibuisse, ne hostes futuros metueret. Nam *metuere aliquid* saepissime est metuere, ne quid fiat. Sic *metuere hostes* est metuere, ne fiant hostes. cf. Ann. 1, 56. *imbresque et fluminum auctus metuebantur.* Vernacule: *Und Otho, welcher, nicht als ob er verziehen hätte, sondern um sie nicht als Feinde fürchten zu dürfen, die Gewinnung der Gemüther versuchte, nahm ihn (den C.) sogleich unter seine vertrautesten Freunde auf* etc. *Ignosceret* Tacitus, ut saepissime, in optativo praesentis dicit, quod Ernestius diceret *ignovisset.* Cf. Ernestius ad Ann. 2, 42. 3, 55. 6, 49. *Hostes* Noster scribit non *inimicos*, quod hic requiri adfirmabat Ernestius; nam Otho metuebat, ne hostes h. e. partes hostiles, bellum contra ipsum paraturae, orirentur. Et in bello etiam civili partes diversas hostes invicem dici notissimum est. — Aliquantum ab hoc vero loci sensu abest vir doctus in Ergänz. Bl. zur allgem. L. Z. 1825. nr. 114. p. 908. qui et ipse lectionem Flor. defendit, atque explicationis caussa addit: *Otho sah sehr wohl ein, dafs Celsus, wenn er ihm nur verziehe, immer noch sein Feind bleiben würde. Wollte er daher nicht immer noch ei-*

nen Feind in ihm zu fürchten haben; auch nachdem er sich mit ihm versöhnt hatte, so mufste er ihn zu seinem vertrautesten Freunde machen. Der Allgemeinheit der Sentenz wegen steht h o s t e s statt h o s t e m, welches nur auf den Fall mit dem Celsus allein gehen würde.

Hist. II, 10.

Id senatus consultum varie iactatum, et, prout potens vel inops reus inciderat, infirmum aut validum retinebatur. Ad hoc terroris et propria vi Crispus incubuerat etc.

Sic hodie vulgo edunt e Rhenani coniectura. Consentit MS. Bodl. Ceteri codices variant. Flor. Bud. Reg. *ad hunc terroris;* Agr. et ed. pr. *ad hunc terrore;* Harl. Ies. Guelf. ed. Puteol. *ad haec terroris;* ed. Beroald. et inde subsqq. *ad haec terrore.* I. Fr. Gronov. volebat: *ad hunc terrorem;* Freinshem. *ad hoc terrore;* Bip. *ad hocce terroris.* Acidalius: *retinebatur adhuc terrori. Et propria vi* etc. Fuerunt etiam, qui legerent: *retinebatur adhuc. Terrore et propria vi* etc. quam rationem nuper commendavit Gutmannus. Sed loco ab omnibus partibus considerato, persuasum mihi habeo, vetus hic graviusque vulnus latere. Nam verba: *ad hoc terroris*, vel quocunque modo legas constituasque, nihili sunt et frustra adposita. Coniicio in lectione Flor. Bud. Reg. *ad hunc* latere verbum aliquod, ut *adhibendi*, vel *addendi, adiiciendi*, vel tale quid, ut locus legatur: *retinebatur adhibendi terroris, et propria vi* etc. De structura vide exempla Ann. 2, 59. *cognoscendae antiquitatis;* 3, 9. *vitandae suspicionis;* 13, 11. *iactandi ingenii.*

Hist. II, 51.

Earum, quae Brixelli egerant, cohortium preces Rubrius Gallus tulit. Et venia statim impetrata, concedentibus ad victorem, per Flavium Sabinum, iis copiis, quibus praefuerat.

Freinshemius aut defectum esse locum putabat, aut legendum: *tulit, et venia st. impetrata. Concedentibus*

ad v... praefuerat; et posito etc. Ernestius non consentit, servatque cum sqq. veterem loci interpunctionem: *tulit. Et venia st. impetrata, conced.... praefuerat.* Addit: „etiam hoc valuit ad veniam impetrandam, quod etiam eae copiae ad victorem transirent, quibus Sabinus praefuerat." Bip. et Oberlin. ita explicant, ut sensus sit: „aeque impetratam veniam per Flavium Sabinum suis copiis ac per Rubrium Gallum agentibus Brixelli." Scilicet *concedentibus ad victorem* trahunt ad *cohortes;* ad sqq. supplent e praecedentibus, per Flavium S. veniam statim impetratam iis copiis, q. praefuerat. Bekkerus interpungit: *tulit, et v. st. impetrata concedentibus ad victorem iis cop.* etc. Sed male adhuc loci verba confusa mihi videntur. Lege et distingue: *Earum quae Brixelli egerant cohortium preces Rubrius Gallus tulit et venia statim impetrata, concedentibus ad victorem per Flavium Sabinum iis copiis, quibus praefuerat.* Opponuntur invicem eae, quae Br. egerant cohortes et copiae, quibus Flav. S. praefuerat. Illarum preces auctor dicit per Rubrium Gallum latas et veniam statim impetratam; has per Fl. S. ad victorem concessisse. Ablativi absoluti hic non reddunt rationem praecedentium, sed ut saepissime simpliciter indicant, quae sint facta eodem tempore. Vertas: *während durch Fl. S. diejenigen Truppen, welchen er vorgestanden, zum Sieger übergingen. Venia impetrata* sine dubio respicit ad *preces; τὸ concedere* autem aliam indicat transeundi modum, scilicet non precati veniam, ut illi, sed comitantes ducem videntur hi transiisse ad victorem.

Hist. II, 59.

nimius honos inter secunda, rebus adversis in solatium cessit.

Quomodo in solatium? Nesciunt interpretes. Hinc Dureau de Lamalle mutat: *in exitium;* Woltmann: *in solidum;* Strombeck negationem addit; Gutmann scribit:

Die Verdorbenheit dieser Worte ist offenbarer, als die Herstellung leicht. Sed nisi fallor emendatione locus non eget, nec bono sensu caret. Nam *in solatium cessit*, non stricte significat, Germanicum Vitellii revera inde solatia percepisse, quasi recordatione nimii honoris quondam percepti usus esset ad animum inter adversa deleniendum; imo sensus est: nimius ille honor inter secunda eum eventum habuit, ut videretur fuisse pensatio adversarum rerum, quas postea expertus est. Vernacule: *eine zu grofse Ehre im Glück, sie diente dem Unglück zur Entschädigung.*

Hist. III, 12.

Tum progressus Lucilius auctorem se palam praebet: classis Cornelium Fuscum praefectum sibi destinat, qui propere adcucurrit. Bassus honorata custodia etc.

Fuscum, sic Lipsius correxit ob Hist. 2, 86. Consentit ed. pr. Ante Lipsium edebatur: *Tuscum*, uti est in Bud. Harl. Bodl. Ies. Guelf. ed. Puteolan. sqq. Bipont. ante *classis* addunt *at*, scilicet, ne abruptius transeatur atque vitetur hiatus, qui videtur esse inter utrumque locum. Vereor, tamen, ut illud *at* satis medeatur. Savilius iam quaesiverat: „Cur munus suum Bassus non retinuit? cur strictius in carcere habitus, si Mennius Vespasiani caussam amplectebatur? si hostem profitebatur, cur iubente Hormo, Vespasiani amico, dimissus est?" Respondet I. Fr. Gronovius: „Non retinuit, quia raro hactenus proditoribus creditur, ut relinquatur eis facultas poenitentiae et nocendi eisdem viribus, quibus profuere. Sed et ad securitatem eius pertinuit discedere a classe, in qua essent, quibus invitis partes mutaverat." Non satisfacit. Nam si Bassus ea de caussa, quam Gronovius adfert, praefecturam amisit, cur alii defectores sua munera et officia retinuere? Num decet classem pro suspecto habere eum, quo auctore ipsa ad Vespasianum defecit? Si Basso metuen-

dum fuit ab iis, quibus invitis partes mutaverat, non minus ab iisdem metuendum fuisse videtur Cornelio Fusco, qui pridem Vespasiani partibus susceptis acerrimam bello facem praetulerat. At iam eos, quibus invitis partes tum mutabantur, legimus obtruncatos, ceterum vulgus in Vespasianum inclinasse. Satis acute igitur hic Savilium vidisse puto, nec dubito, esse lacunam inter *praebet* et *classis*. Accidit haud dubie aliquid, quod milites a Basso abalienavit, ut Cornelium praefectum sibi destinarent Bassumque cum custodia mitterent Hadriam. Uti nunc locus legitur, praeter legentium opinionem atque exspectationem haec de Basso adsunt, postquam de ipso progresso et auctorem palam se praebente auditum est.

Hist. III, 74.

ac potiente rerum patre, disiecto aeditui contubernio, modicum sacellum Iovi conservatori, aramque posuit casusque suos in marmore expressam.

MSS. Flor. Agr. Corb. *aramque posuit casus suos in marmore expressam.* Sic et ed. pr. nisi quod omittit *suos.* Recepere hanc lectionem Ryckius, I. Gronovius, Brotier, Lallemand. Ante Ryckium vulgabatur inde a Puteolano: *aramque posuit casusque suos in marmore expressit. Expressit* (sive *exprexit,* more libri) esse in Bud. testatur Oberlinus. An ibidem adsit copula in *casusque*, non monuit. De ceteris MSS. tacent. Puteolani lectionem dedit Ernestius et nuper Bekkerus. Oberlinus praetulit Ryckianam, nisi quod pro *casus* dat *casusque*, ut ita existat lectio e Puteolano et Ryckio conflata. Non ausim imitari, quia Flor. lectio mutatione nulla indiget, satisque defenditur exemplo Valer. Flacc. 1, 397: *casusque tuos expressa Phalere arma geris.* Nimirum *exprimi* dicuntur, ut multa alia, ita et facies imaginesque quaecunque in tabulis, ceris, marmoribus et tali materia factae, sive pictae, sive

sculptae. Plin. epp. 7, 23. *Nam si esse nobis curae solet, ut facies nostra ab optimo quoque artifice exprimatur* etc. Tum et exprimi dicuntur ipsa signa, statuae, arma taliaque, quae facies aut imagines aut literas referunt, ut apud Valer. Fl. l. l. *expressa arma* h. e. arma arte ita facta, ut exprimant. Exquisite vocabulum *expressum* significat artificium, quod exacte exprimit rem, nostrum *sprechend.* Cf. Plin. ep. 3, 6. *signum Corinthium . . . festivum et expressum.* Quae quum ita sint, non video, quem offendere possit *ara casus suos in marmore expressa. Casus suos* accipe pro accusativo graeco, qui est frequens apud Nostrum, satisque illustratur per exemplum e Valer. Fl. adlatum. Cf. etiam Ramshorn Gr. §. 132. 4. Iam vero Ernestium offenderunt verba: *in marmore*; frigere ipsi videbantur. Ego id non sentio, nec video, quid hic frigere aut fervere possit. Materia indicatur, ex qua opus illud sive artificium factum est. Signum, statua, vel tale quid exprimitur in marmore, aere vel alia materia h. e. inde fit.

Hist. IV, 5.

Helvidius Priscus, Tarracinae municipio, Cluvio patre, qui ordinem primipili duxisset, ingenium illustre altioribus studiis iuvenis admodum dedit.

Locus nondum sanus. MSS. et edd. ante Bip. et Oberl. post *Priscus* addunt *regione Italiae.* Numerus *septima*, quem Lipsius suadentibus Vertranio et Ferreto inseruerat, non est a libris. In sequentibus vocabulis mire variant codices. Flor. test. Ryckio: *Carecinae municipio.* Pichena contra notaverat, de oppido *Tarracinae* Florentinum consentire. Scilicet hic opinatus est, in *Carecinae* latere vocabulum *Tarracinae.* Vatic. Lipsii *Tarentium municipio*; Farnes. Corb. *Tarentinae m.* Agr. ed. pr. *Tarentino oppido.* Iam interpretes bene viderunt, mentionem regionis Italiae hinc esse alienam. Quare suadentibus vi-

ris doctis Bip. et Oberlin. verba: *regione Italiae*, tanquam glossema, abiecere. Attamen sic locum nondum sanarunt. Nam vocabulum *Tarracinae* infirma uti fide satis apparet e codicum vestigiis. Tum etiam nimis faciles fuere in suspicionem glossematis. Id enim genus in cod. Flor. rarius esse videtur. Mihi quidem satis persuasum est, in vocabulo *regione* latere nomen municipii, quod plane diversum fuisse a Tarracina coniicio: quale sit, non invenio; verba sequentia autem accipio in appositione, veramque puto scripturam Flor. *Italiae Carecinae municipio.* Nam *Caricini* sive *Carecini* sunt pars Samnitium. cf. Cellar. Geogr. ant. lib. 2. c. 9. p. 862.

Hist. IV, 42.

quum ex funere reipublicae, raptis consularibus spoliis etc.

Vocabula: *ex funere reipublicae*, vertunt: *vom Leichenbegängnifs des Staats*, Strombeck; *nach dem Leichenbegängnifs des Staats*, Ricklefs; *am Grabe des Staats*, Gutmann. Imo *funus* hic valet de corpore mortuo, ut saepe. *Raptis* coniunge cum *ex*. Rempublicam adsimilat homini, qui cecidit in proelio, et ex quo, dum iacet funus, spolia rapiuntur.

Eodem capit.

Sed diutius durant exempla, quam mores.

Inepta aut nihili sententia Lipsio videbatur. Hinc pro *mores* legebat: *amores*, tum altera litera divisa: *autores*. Ryckius vulgatam esse sanam iudicat; explicat: „sed poenae malorum diutius deterrent ab illorum imitatione homines, quam Principis boni atque a malitia eosdem deterrentis vita durat." Ernest.: „malorum exemplorum vis longius durat, quam virtus bonorum principum." Gutmann: „Vespasianus non est timendus nobis; at moribus

eius non tuti sumus a vi malorum exemplorum, ni puniantur accusatores." Ricklefs putat inesse suspicionem tanquam et Vespasianus malis exemplis in peius mutari possit. Sed a vero plus minusve interpretes absunt. Est sententia in universum dicta. *Exempla* sunt aut bona aut mala; *mores* aut boni aut mali, *Tugend oder Laster.* Hic sermo est de malis exemplis et moribus. Iam mores desinunt in calce vitae; exempla diutius durant; nam timendum est, ne quis deinde imitetur. Igitur quamquam malorum principum mores, ait, iam aboliti sunt, probo Principe successore, vis exemplorum illorum timenda est, ne in posterum valeat alliciatque alios ad imitationem priorum. Hinc metus adiiciendus est. Hoc sibi vult Montanus. Ceterum Agr. pro *mores* a 2. m. habet *hoĩes* h. e. *homines;* a 1. m. ibi etiam videtur fuisse: *mores.*

Hist. IV, 48.

Ea de caede quam verissime expediam, si pauca supra repetiero, ab initio caussisque talium facinorum non absurda.

Quam verissime. Sic MSS. Acidalius nesciens, cur hic auctor veritatis studium testetur, emendat: *quam potero verissime expediam*, vel: *quam brevissime*, quod Strombeck omnino scriptore dignius esse censet. Neque tamen video, quid in vulgata non sit dignum eodem scriptore. Nimirum in tali contextu *veritas* non opponitur *mendacio*, sed ei rationi, in qua non omnia sunt iusta et integra. Igitur *verissime* non est *auf das wahrhaftigste,* sed *am richtigsten*, iustissime h. e. ita ut lector iustissimam de re habeat historiam. De qua vocabuli significatione nemo dubitat. — Deinde *petiero* MSS. et vett. edd. habent omnes. Oberlinus tamen et sqq. e coniectura Rhenani et Mureti edidere: *repetiero*, secundum exempla Ann. 15, 72. 16, 18. Hist. 2, 27. Falluntur. Nam ubi

Noster scribit *repetere*, ibi respicit ad rem ad suae historiae annos pertinentem et in eo loco, ubi pro temporis ratione debebat inseri, omissam; tum *repetere* est *nachholen*. Hic autem Tacitus non *repetit pauca supra*; nam quae scribit usque ad finem huius capitis (eaque sunt pauca illa; et cap. 49. incipit ipsa de caede Pisonis narratio) ab hisce Historiarum libris pro tempore plane aliena sunt spectantque ad aevum praecedens. Haec igitur *petit supra*, neque vero *repetit*. *Er bringt etwas bei aus der Vorzeit, aber er holt nicht etwas nach.*

Hist. V, 3.

Sic conquisitum collectumque vulgus, postquam vastis locis relictum sit, ceteris per lacrymas torpentibus, Mosen, unum exsulum, monuisse, ne quam Deorum hominumve opem exspectarent, utrinque deserti, sed sibi, ut duci coelesti, crederent, primo cuius auxilio praesentes miserias pepulissent.

MSS. Flor. Reg. ed. pr. habent: *et sibimet duce coelesti crederent, primo cuius auxilio credentes praes. miserias pepulissent.* Sed editores inde a Puteolano maluere lectionem aliorum codicum aut virorum doctorum coniecturas. Nimirum Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Puteol. sqq. habent: *sed sibimet, ut duci coelesti crederent, primo cuius auxilio credentes, praesentes miserias pepulissent.* Corb. *ni sibimet.* Agr. *ut sibimet duci coelesti crederent;* 2. m. pro *ut* adscripsit *et.* Quae lectiones quum vitio viderentur laborare, accessere variae virorum doctorum coniecturae. Schelius: *adessent sibimet: ut duci coelesti crederent, primo cuius* etc. I. Fr. Gronov. *se sibimet, et, ut duci coelesti, crederent primo, cuius auxilio praesentes* etc. Ernestius: *se sibimet, et ut duci coelesti crederent, primo cuius* etc., vel: *sed sibimet, ut duci coelesti crederent, et primo cuius auxilio*, vel cum Groslotio: *cuius primo aux.*

Freinshemius: *cuius consilio.* Bipont. *sed sibimet quaerentes, ut duci coelesti, crederent primo, cuius auxilio praesentes mis. pep.* Oberlinus edidit, quae supra adscripta sunt. Vertunt: *sondern ihm als himmlischen Führer trauen, durch dessen frühere Hülfe sie im gegenwärtigen Elende erleichtert würden.* Stromb. vel: *sondern... durch dessen erste Hülfe sie das gegenwärtige Elend abgewandt hätten.* Ricklefs. vel: *sondern... dessen Vorsorge schon früher dringendes Elend von ihnen abgewehrt.* Gutmann. Sed quaero, quomodo Moses ducem coelestem h. e. a diis missum, se ostentare potuerit, postquam monuerat, ne quam deorum opem exspectarent? Ita haud dubie sibi contradicit. Porro quod sit *primum illud auxilium*, de quo loquitur, non video. Broterius refert ad opem a Mose praestitam in Aegypto et in transitu maris Rubri. Ita et Huetius explicabat: „Id vult Cornelius, iam opem aliquam ipsis tulisse Mosen, qui propterea sibi credi a Iudaeis postularet." At haec omnia sunt vana Nam quod illi volunt, Tacitus non dixisset *primum auxilium*; *priori cuius auxilio* ferrem. Dein de priori auxilio a Mose suis praestito nil plane habet Tacitus; quare ineptum est, Mosen loquentem de illo auxilio induci. Cuncta autem mihi videntur bene fluere e Flor. lectione. *Et* Nostro saepissime ponitur, ubi exspectaveras *sed. Sibimet crederent* h. e. in se ipsis ponerent fiduciam. cf. Ovid. Met. 11, 108. *vix sibi credens.* Nam cui nil opis exspectandum est Deorum hominumve, nil restat nisi ut sibimet credat, a se ipso exspectet auxilium. *Dux coelestis* est sol, lux diurna; non Moses, ut vulgo accipiunt. Nam Iudaei incitantur per haec ad peregrinationem, ut quaerant sedem (hoc patet e sqq.), qua in re indigent duce illo coelesti, qui iter monstret. *Primum eius auxilium* est prima lux, proximus dies; dicitque orator: primo eius auxilio praesentes miserias pepulissent, si modo sibimet, ut prius monuerat, crederent, h. e. proximo statim die ad profectionem sese accingerent novamque sedem quaererent; sic praesentium miseriarum adfore finem. Ne te offendat tempus *pepulissent*, hoc moneo. Ipsa oratoris verba fuere in hunc modum: *Ne quam deorum hominumve opem exspectetis, utrinque deserti, et vobismet duce coelesti credatis, primo cuius auxilio credentes praesentis miserias pepuleritis.* Constat enim Romanos in enuntiationibus iis, quae adfirment, iu-

dicent, postulent, saepius anteriori tempore uti modestiae caussa. cf. Ramshorn Gr. Lat. §. 164. A. 7. Iam τὸ *pepuleritis* in oratione hac obliqua debebat reddi per *pepulissent.* Offenderunt plurimi in verbis: *credentes praesentes,* cum ob *κακοφωνίαν,* tum quia verbum *credere* proxime praecedit, et propterea τὸ *credentes* ut insititium delevere. Sed in ipsa repetitione hic est vis quaedam, et quod *κακοφωνίαν* attinet, Tacitus haud dubie scripsit: *credentes praesentis,* qua forma recepta nil superest, quod quemquam offendere possit. Malo librariorum editorumque studio antiqua illa forma, quae in sex prioribus Annalium libris, quia ex uno codice eoque praestantissimo fluxêre, frequentissima est, in sequentibus libris paene abolevit. Quod verbum *credentes* deest in MSS. quibusdam Oresii et Othonis Fris., qui haec Taciti verba referunt, levissimi est momenti. Nam maior haud dubie in hac re est auctoritas MSStorum Taciti.

Hist. V, 4.

ac pleraque caelestium vim suam et cursum septimos per numeros conficiant.

Sic Lipsius locum constituit praeeunte libro Vaticano. Nam Vatic. 1863. et ed. pr. habent: *coniciant*; Corb. *comiciant*; Reg. et Agr. *coniiciant.* Sic et Harl. in margine. At Flor. et Bud. *vim suam et cursum... commearent.* Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Puteol. sqq. ante Rhenanum: *commeare.* Rhen. mutavit in: *vi sua et cursu.* Bip. coniect. *ac plerisque cael. vim suam recursu septimos per numeros commeare,* nemine applaudente. Quod autem Lipsii emendationem unanimi consensu recentiores amplectuntur, aeque perperam faciunt. Nam sana esse nequit. Scribit auctor: *Alii, honorem eum Saturno haberi,* et dein duplicem adfert, quae esse possit, eius honoris rationem: *seu... seu... feratur.* Quod autem *pleraque coelestium vim suam et cursum sept. p. num. conficiant*, hoc inter caussas honoris Saturno habiti referri nequit. Nam quid hoc ad Saturnum, quod alia coelestium faciunt? Omni nexu illa carent, et unice vera esse videntur, quae suppeditat MS. Flor. Post *feratur* plenius interpunge. Nam hic finiuntur, quae spectant ad Saturnum. Addit auctor observationem, quae in universum valeat ad explicandam

caussam septimi diei sancte apud Iudaeos habiti, scilicet *pleraque coelestium... commeare.* Enuntiat vero eam sententiam, uti modestiae caussa enuntiari solent res, quae non sunt ita certae, ut fide tua interposita adfirmes, nimirum per optativum Graecorum, *commearent. Vim suam et cursum* sunt accusativi graeci, explicandi per formulam: *quod attinet ad, in Ansehung.* cf. Ramshorn Gr. §. 132. Not. Verte: *und die meisten Himmelskörper möchten wohl in Ansehung ihres Einflusses und ihrer Bahn die Siebenzahl durchlaufen.*

German. c. 10.

mox, si publice consuletur, sacerdos civitatis; sin privatim ipse paterfamilias... ter singulos tollit.

Ernestius e vett. libris bene restituit *consuletur.* Rhen. 1533. tacite ediderat *consulatur,* unde venit in sqq. edd. eumque subiunctivum loco reddidit Bekkerus. Consentiunt Grotefend. apud Hess. in var. lect. p. 17. Günther ad h. l. et Lünemannus. Alienus tamen ab hoc loco est iste modus. Exhibet enim rem, quasi fieri tantum possit, ita ut auctor non adfirmet, an revera publice consulatur. cf. Ann. 1, 45. *si imperium detrectetur.* At hic res satis certa est modoque indicativo exprimenda; et quia ad consilium seu propositum refertur, ponendum erat *consuletur,* h. e. *wenn in öffentlichen Angelegenheiten gefragt werden soll.* cf. Matth. Gr. Gr. §. 498. p. 694. Particulae *si* — *sin* — hic eadem vi utuntur, qua sunt in sqq. *si prohibuerunt* — *sin permissum,* ne cum Lünemanno statuas, his particulis necessario adesse subiunctivum. cf. Ramshorn. Gr. §. 190. Not. 3.

German. c. 18.

Quamquam severa illic matrimonia: nec etc.

Recte statuunt, qui a voce *quamquam* novum incipiunt caput. Nam exacte ea vox respondet particulae *καίτοι.* cf. Herrmann. ad Viger. adnot. 333.

German. c. 21.

Quum defecere, qui modo hospes fuerat, monstrator hospitii et comes, proximam domum non invitati adeunt etc.

Sic vulgo locum distinguunt, ut verba: *qui... comes,* subiungantur verbo *adeunt*, inconcinna plane structura. Nemo enim unquam in hunc modum subiecto singularis numeri, nisi sit nomen collectivum, addidit verbum plurale. Hinc translatores quidam vertere, quasi scriptum esset: *qui modo hospes... non invitatus adit.* Medicinam quidem loco paravit Hess. in var. lect. p. 26. neque vero utilem. Nimirum ob verba: *invitati adeunt*, supplet ad praecedentia *cum hospite:* nam hanc syllepsin, e qua pluralis excipiat duo substantiva per praepositionem *cum* coniuncta, dicit frequentem esse. Provocat ad Ruddim. instit. P. II. p. 79. et Rupert. ad Sil. Ital. 16, 244. Concedo. At hic non sunt duo substantiva per praepos. *cum* coniuncta, nisi in opinione interpretis. Alii (Güntherus et Teubertus) virgula post *comes* sublata legunt: *monstrator hospitii et comes proximam domum non invitati adeunt.* Scilicet *monstrator* et *comes* tum accipiuntur pro diversis subiectis, ut *comitem* ex interpretatione Güntheri intelligas eum, qui modo apud illum hospitem exceptus fuerat. Hauffius, admissa eadem interpretatione, pro *hospitii* in textu ponit *hospiti.* At quo tandem iure ille, qui exceptus fuit, comes alterius dicatur, nemo docuit, licet satis appareat, mutato hospitio hunc potius, neque illum fieri comitem. *Monstrator hospiti* dici posse concedo; hic tamen non solum inutilem, sed etiam malam esse eam mutationem video. Non enim in universum intelligendus est monstrator hospiti accedens, sed monstrator hospitii. Vix autem ferimus repetitionem vocabuli. Scilicet qui *hospes* fuerat, monstrator *hospiti.* Quid multa? Locus sola distinctione laborat; sanusque erit sic: *Quum defecere, qui modo hospes fuerat, monstrator hospitii et comes. Proximam domum non invitati adeunt* etc.

German. c. 26.

Agri, pro numero cultorum, ab universis in vices occupantur.

Sic bene MSS. Vatic. 1862 et 2964. edd. Nor. Rom. Bip. Oberl. Bekker. *Per vices*, quod secundum edd. Pu-

teol. Mon. Vienn. Ald. Rhen. edidere Ernest. Lallem. Brot. Passov. Hess. Hackius alienum est ab hoc loco. Nam scriptor non dicit occupationem per vices factam, sed occupationem factam ab universis, verum in vices h. e. in mutuam possessionem. Lectio MS. Bamb. *vicis*, quae nuper viris doctis quibusdam placuit, emendatoris manum nimis olet.

German. c. 39.

Adiicit auctoritatem fortuna Semnonum, centum pagis habitantium etc.

Libri vett. ad unum omnes habent *habitantur*. Plurimi tamen interpretum hanc lectionem sine sensu esse censent coniecturisque indulgent. Rhenan. an. 1533 dedit *habitatur*, quod seqq. editores retinuere usque ad Pichenam. Is reduxit *habitantur*, et sic edd. usque ad Bipont. qui mutavere in *habitantium*. Secuti sunt Oberl. Weikert. Naudet. Bekkerus. Ernestius coniecit *habitant* vel *centum pagi habitantur*. Illud recepere Seebod. Passov. Dilth. Hess. Teubertus. Broterius volebat: *centum pagi iis habitantur*, quod Ernestio durius visum est. Sed nulla emendatione locus indiget. Lege et distingue e fide vett. librorum: *Adiicit a. f. Semnonum. centum pagis habitantur*. Subiectum verbi sunt *Semnones*, qui metonymice ponuntur, ut saepe, pro terra s. civitate Semnonum, ut ita Semnones sint spatium, quod occupetur a centum pagis. Bene igitur Hackius videtur revocasse veterem lectionem.

Agric. c. 1.

At mihi, nunc narraturo vitam defuncti hominis, venia opus fuit; quam non petissem, ni incusaturus tam saeva et infesta virtutibus tempora.

Ita e coniectura Lipsii edidere Bip. Oberl. Seeb. Beck. Bekk. Hertelius. *Ni cursaturus* habent edd. Put. 1. 2. Ven. Beroald. Pichen. Ernest. Broter. Dronkius. *Ni incursaturus* ed. Rhenani. De MS. Vat. 4498 Broterius tacet. MS. Vat. 3439 habet *incusaturus* (sine *ni*), quae unice vera est lectio. Tacitus hucusque docuit: Clarorum virorum facta moresque tradere antiquitus et nuper quoque fuisse usitatum; apud priores tamen aliter se habuisse eam rem. Illos nimirum sine gratia aut ambitione, bonae

tantum conscientiae pretio talia scripsisse; imo fuisse, qui suam ipsi vitam narraverint sine dubiae fidei suspicione aut obtrectationis periculo. *At mihi*, pergit, *nunc narraturo v. d. h. venia opus fuit.* Nam uti tum parum curabant virtutem defuncti hominis, ita ne credibile quidem pluri- mis videbatur potuisse hominem virtutibus excellere inter tam saeva et infesta virtutibus tempora. Hinc Tacito virtutes Agricolae narraturo venia opus fuit; contra si voluisset incusare tempora illa virtutibus infesta, atque dicere, in illo aevo virtutibus nullum fuisse locum, venia non opus fuisset. Omnes enim pronis auribus haec accepissent. Nam primo melioris aevi ortu nil cupidius auditur, quam prioris temporis insectatio; at invidiae periculum incurrit, qui tum suscipit laudationem priorum hominum. Audacter igitur repone: *quam non petissem, incusaturus tam saeva et infesta virtutibus tempora.*

Agric. c. 5.

Nec Agricola licenter, more iuvenum, qui militiam in lasciviam vertunt, neque segniter, ad voluptates et commeatus titulum tribunatus et inscitiam retulit; sed etc.

Verte: *Und Agr. hat nicht auf liederliche Weise, nach Art der jungen Leute, welche des Kriegsdienstes zum Muthwillen brauchen, noch auch in schlaffer Thatlosigkeit, um auf vergnüglichen Urlaubsreisen das Leben zu genieſsen, den Tribunentitel mit Unwissenheit gepaart davon getragen; sondern* etc.

Agric. c. 6.

Ludos et inania honoris, moderationis, atque abundantiae duxit, uti longe a luxuria, ita famae propior.

MS. Vat. 3429. edd. Beck. et Hertel. *medio rationis atque abundantiae duxit.* De altero MS. Broter. tacet. — *modo rationis atque abundantiae* edd. Put. 2. Ven. Alc. Rhen. sqq. usque ad Bip. et Oberl. qui suadente Lipsio dedere: *moderationis atque abund.* Supplendo intelligunt *rem* vel *res*, ut *duxit* sit i. q. ratus est, putavit. Lipsius tamen voluerat: *moderationis suae atque*, vel *moderationi satisque abundantiae.* Oberlinum secuti sunt Weikert. Seebod. Bekk. Lünem. At Dronkius revocavit: *modo rationis* etc. Explicat: „ita se gessit in edendis ludis et

ceteris, quae munus poscebat, ut neque nimia effusione suas opes pessumdaret neque in avaritiae suspicionem incideret." Sed quis unquam haec istis verbis (*modo rationis* etc.) dicet? Hinc Beck. et Hert. maluere sequi MS. legendo: *medio rationis* etc. Verbum *duxit* iidem accipiunt pro putavit, arbitratus est, sc. habendos esse. Doederlein in vers. vult suppleri „facienda esse." Selling. tamen in observv. p. 7. satis recte monuit, sic ablativum *medio* non habère, unde pendeat, totamque formulam latinitati non esse ferendam. Nimirum decepit viros doctos commentum illud Ernestii, qui ad h. l. scripserat: „verbum *duxit* nullo modo coniungi potest cum *ludis: non dicimus ludos ducere,* sed *edere.*" Sane *ludi*, si stricte intelligis id, quod faciunt histriones vel gladiatores, non *ducuntur*, sed *eduntur, fiunt*; sin vero in universum intelligis solemnia, quae dicuntur *ludi*, tum nulla est ratio, cur *ludi* aliaque honoris inania tanquam pompa non dicantur *duci* eodem sensu, quo ducuntur triumphi aliaque solemnia. cf. Ovid. Fast. 6, 405. *Qua Velabra solent in Circum ducere pompas* etc. Neminem offenderet, si Tacitus Agricolam praetorem dixisset ducem fuisse ludorum aliorumve solemnium, ut non luxuriosum, ita famae propiorem. Iam eadem ratio est verbi *duxit.* Ablat. *medio* indicat viam s. rationem, qua ille duxit. cf. Ann. 1, 64. *medio montium et paludum porrigebatur planities. Ratio* significat i. q. nos dicimus *Berechnung,* h. e. eum agendi modum, quo impensae quaeque computantur rebusque pretium suum statuitur, quod non excedatur. Opponitur *abundantia*, qua plura et maiora impenduntur, quam necesse est. Sic egregio sensu Agr. ludos et inania honoris dicitur *medio rationis et abundantiae duxisse,* nec opus erit, ut cum Sellingio legamus: *moderationis quam abundantiae;* aut cum Colero: *moderationis neque ab.;* aut cum Scriverio: *moderatiora quam abundantia;* aut denique cum Heinsio: *Ludos, ut inania honoris, medios moderationis atque abundantiae duxit.*

CORRIGENDUM.

Pag. 10. lin. 15. leg. *inducti. iussi,*